

CAPUT XXXV. ALTERUM TENTATIONIS GENUS CURIOSITATIS, OCULORUM CONCUPISCENTIA MOTAE.

Huc accedit alia forma tentationis multiplicius periculosa. Praeter enim concupiscentiam carnis, quae inest in delectatione omnium sensuum et voluptatum, cui servientes depereunt, qui longe se faciunt a te, inest animae per eosdem sensus corporis quaedam non se oblectandi in carne, sed experiendi per carnem vana et curiosa cupiditas, nomine cognitionis et scientiae palliata. Quae quoniam in appetitu noscendi est, oculi autem sunt ad cognoscendum in sensibus principes, concupiscentia oculorum eloquio divino adpellata est (1. joh. 2, 16). Ad oculos enim proprie videre pertinet. Utimur autem hoc verbo etiam in caeteris sensibus, cum eos ad cognoscendum intendimus. Neque enim dicimus: audi, quid rutilet; aut: olfac, quam niteat; aut: gusta, quam splendeat; aut: palpa, quam fulgeat. Videri enim dicuntur haec omnia. Dicimus autem non solum: vide, quid luceat, quod soli oculi sentire possunt; sed etiam: vide quid sonet; vide, quid oleat; vide, quid sapiat; vide, quam durum sit. Ideoque generalis experientia sensuum concupiscentia (sicut dictum est) oculorum vocatur, quia videndi officium, in quo primatum oculi tenent, etiam caeteri sensus sibi de similitudine usurpant, cum aliquid cognitionis explorant. Ex hoc autem evidentius discernitur, quid voluptatis, quid curiositatis agatur per sensus; quod voluptas pulchra, canora, suavia, sapida, lenia sectatur; curiositas autem etiam his contraria tentandi causa, non ad subeundam molestiam, sed experiendi noscendique libidine. Quid enim voluptatis habet videre in laniato cadavere, quod exhorreas? Et tamen sicubi iaceat, concurrunt, ut contristentur, ut pallegant. Timent etiam, ne in somnis hoc videant; quasi quis quam eos vigilantes videre coegerit, aut pulchritudinis ulla fama persuaserit. Ita et in caeteris sensibus; quae persequi